



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

CII. Epistola Cyrilli Alexandrini episcopi ad Concilium Africanae prouinciae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

apud Nicæam ciuitatem a patribus constituti, veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis occidentalibus ecclesiis in Domini adiutorio conferente. Quis enim dubitet exemplaria esse verissima Concilii Nicæni in Græcia congregati, quæ de tam diuersis locis, & de nobilibus Græcis ecclesiis allata & comparata concordant? Quod donec fiat, hæc quæ in commonitorio supradicto nobis allegata sunt de appellationibus episcoporum ad Romanæ ecclesiæ sacerdotem, & de clericorum causis apud suarum prouinciarum episcopos terminandis, nos vsque ad probationem seruatueros esse profitemur: & beatitudinem tuam ad hoc nos adiuturam in Dei voluntate confidimus. Cetera vero quæ in nostra Synodo gesta vel firmata sunt, quoniam supradicti fratres nostri Faustinus coepiscopus, Philippus & Asellus compresbyteri secum ferunt, si dignatus fueris, tuæ nota facient sanctitati. Et alia manu: Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat, beatissime frater. Subscripte sunt quoque Alypius, Augustinus, Possidius, Marinus, & ceteri episcopi 217.

CII.

EPISTOLA
CYRILLI ARCHIEPISCOPI
ALEXANDRINI AD CONCILIVM AFRICANVM.

Authentica Concilii Nicæni, translata de Græco, per Innocentium presbyterum transmittit. Quæ, & etiam alia epistolæ, cum eodem Concilio Nicæno per memoratum presbyterum Innocentium & Marcellum subdiaconum ecclesiæ Carthaginensis sancto Bonifacio episcopo ecclesiæ Romanæ sub die vi. Kalendas Decembris sunt directa.

Dominis honorabilibus, sanctis fratribus coepiscopis, Aurelio, Valentino, sed & omni sanctæ congregationi in Carthaginensi Synodo congregatæ, Cyrillus salutans in Deo caritatem vestram.

Cod. Can.
cap. 155.

Scripta venerationis vestræ, multam habentia querimoniæ, cum omni lætitia per filium vestrum Innocentium presbyterum suscepi: quibus a nobis speratis, ut de scrinio nostræ ecclesiæ verissima exemplaria, ex au-

ANNO CHRISTI 424. thentica Synodo apud Nicænam ciuitatem metropolim Bithyniæ a sanctis patribus constituta atque formata, sub nostræ fidei professione vestræ dilectioni porrigamus. Vnde, domini venerabiles fratres, salute præeunte, necesse habui, per harum latorem filium nostrum Innocentium presbyterum, fidelissima exemplaria ex authentica Synodo in Nicæa Bithyniæ habita, vestræ caritati dirigere, quæ & in ecclesiastica historia requirentes inuenietis. De Pascha vero, ut scripsistis, nuntiamus vobis, xvii. Kalendas Maias nos futura indictione celebra-re. Et alia manu: Deus & Dominus noster sanctam ve-stram congregationem custodiat, quod optamus, carif-simi fratres.

Ecclesiasti-ca hist.
lib. 10. cap.
6.

CIII.
EPISTOLA
ATTICI EPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI AD EOSDEM.

Dominis sanctis, merito beatissimis fratribus coepiscopis, Aurelio,
Valentino, vel ceteris carissimis, in Synodo apud Cartha-ginem habita constitutis, Atticus episcopus.

PER filium nostrum Marcellum subdiaconū vestrum scripta vestræ dilectionis cum omni gratiarum actio-ne suscepi, Domino gratias agens, quod merui tantorum fratum benedictione perfrui, Domini beatissimi fratres. Scribitis sane ut verissimos Canones, apud Nicæam ciuitatem metropolim Bithyniæ a patribus constitutos, sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem, vel statuta a patribus firmata, suis fratribus dene-get? Qua de re, per eumdem filium meum Marcellum subdiaconum vestrum, nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicæa ciuitate a patribus Canones in integro (ut iussistis) direxi; petens, ut pro me plurimum vestra sancta congregatio orare iubeat. Et alia manu: Deus noster sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, sancti fratres.

Cod. Can.
cap. 136.